

## § V. — De Feria sexta in Parasceve.

**1406.** Hodie Altare maius et pavementum penitus denudata esse debent, et in Altari nihil apponi potest praeter Crucem grandioris formae, coopertam velo violaceo, quod facile solvi possit, et sex candelabra obscuri coloris, cum candelis ex cera communi<sup>1</sup> extinctis. Gradus Altaris nudi sint, sed tamen bene mundi pro Sacerdotis et Ministrorum prostratione, et super eiusdem superiorem gradum vel suppedaneum tria pulvinaria violacea ponantur, vel unum tantum, si non adsint Ministri.

**1407.** Credentia simplici linteo cooperta sit in superiori parte tantum; super ipsam disponantur sequentia: duo candelabra pro Acolythis cum candelis ex cera communi; bursa nigri coloris cum Corporali et purificatorio; ampullae vini et aquae in pelvicula cum manutergio; mappa unica plicata pro Altari ad mensuram mensae, non enim extra ipsam pendere debet; legile cum Missali pro Celebrante, et aliud pro Ministris seu Clericis; vasculum vitreum cum aliquantula aqua, et purificatorium pro purificatione digitorum Celebrantis, si opus fuerit; velum nigrum pro Calice operiendo; thuribulum, vel duo, cum navicula et thure: et etiam aliquot exemplaria citati Manualis Rituum vel huius Caeremonialis pro recitandis vel canendis Improperiis et Hymno *Vexilla* etc. Prope credentiam parata sint: tapete oblongum violaceum, vel subobscuri coloris, cum

<sup>1</sup> Caerem. Episcop. l. II, c. XXV, n. 2. — Memoriale Rit., t. V, c. I.

pulvino eiusdem coloris et velo albo pro Crucis adoratione; Crux processionalis velo violaceo oblecta. A latere Epistolae: scamnum pro Celebrante et Ministris totaliter nudum.

**1408.** In Sacello, ubi SS. Sacramentum repositum est, parentur: Corporale stratum super Altare; Velum humerale album; baldachinum albi coloris; intorticia et cerei pro processione.

**1409.** In Sacristia praeparentur: pro Celebrante Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola et Planeta nigri coloris; pro Ministris, si adsint, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, et pro Diacono etiam Stola eiusdem coloris; et tria superpellicea pro Clericis. Si autem numerus sufficiens adesset Sacerdotum aut Diaconorum, item praeparentur necessaria paramenta pro tribus Diaconis, qui cantare debent Passionem; quod si non habeatur numerus sufficiens, possunt tali officio supplere ipsi Ministri, assumendo, cum tempus erit, Stolum diaconalem, qui vices Subdiaconi agit, et verba Christi canere ipse Celebrans in suis paramentis manens ad Altare, sed in cornu Evangelii.

**1410.** Hora competenti dicuntur in Choro Horae minores, candelis extinctis, convocatis prius omnibus ad signum crotali. Interim Celebrans et Ministri, si adsint, accipiunt respectiva paramenta, adiuvantibus Clericis prius superpelliceo indutis; praecedentibusque iisdem Clericis manibus iunctis, accedunt ad Altare, tecto capite. Ibi detecto capite, Celebrans cum caeteris Crucem salutatur genuflexione, et deinde genuflexus in infimo gradu procumbit, ponens brachia et caput super pulvinum positum in superiori gradu vel in suppeda-



neo, idemque faciunt Ministri, si adsint, et orat spatio unius *Miserere* <sup>†</sup> circiter.

1411. Clerici interim tobaleam seu mappam extendunt per longum super mensam Altaris, non explicando eam per latitudinem, ita ut duplicatio sit versus Altaris medium, et partes explicandae versus frontem eiusdem Altaris; Clericus tertius collocat Missale apertum cum cussino seu legili in cornu Epistolae.

1412. Celebrans, si Ministri non adsint, surgit ab oratione, et amoto per Clericum pulvino, ascendit Altare et osculatur illud in medio. Deinde accedit ad cornu Epistolae et legit alta voce Prophetiam cum Tractu. Finito Tractu, in eodem cornu Epistolae, cantat vel dicit: *Oremus*, et genuflectens cum omnibus: *Flectamus genua*, et secundus Clericus primo surgens respective Chorus, si sufficiens numerus Fratrum adsit, dicit: *Levate*: et subiungit Orationem *Deus, a quo* etc. Deinde legit eadem voce secundam Lectionem cum Tractu in eodem cornu Epistolae, et successive Passionem. Post verba *tradidit spiritum*, in genua procumbit et orat aliquantulum, idemque omnes faciunt. Hinc surgens legit quae sequuntur. Et dicto ibidem: *Munda cor meum* etc., prosequitur eam partem, quae cantaretur in tono Evangelii. In fine non osculatur librum, sed immediate incipit in eodem cornu Epistolae Monitiones et Orationes, ut in Missali. Circa finem Orationum, primus Clericus, adiuvante tertio, extendit ante gradus Altaris vel Presbyterii tapete, et aptat desuper pulvinar violaceum et velum album sericum, pro adoratione Crucis.

† Rubr. gen. Missal.

1413. Completis Orationibus, Celebrans descendit de Altari a latere ad scamnum, vel prope abacum in eodem cornu Epistolae, et ibi deponit Planetam; deinde veniens ante Altare facit genuflexionem Cruci, ascendit in suppedaneum et accipit Crucem, ac utraque manu sustinens illam secedit ad angulum posteriorem cornu Epistolae: ibi facie ad populum versa, et Clerico primo sustinente Missale ante ipsum, dextera summitatem Crucis discooperit, non vero caput figurae Crucifixi, et ambabus manibus illam aliquantulum elevans, gravi voce incipit: *Ecce lignum Crucis*, et Clerici respective Chorus eadem voce prosequuntur: *in quo salus mundi pependit*. Et genuflectentibus omnibus, praeter Celebrantem, subiungunt: *Venite adoremus*, et deinde surgunt. Deinde procedit ad anteriorem partem anguli eiusdem cornu Epistolae, et discooperiens brachium dextrum Crucis et Crucifixi atque caput eiusdem imaginis, elevansque eam paulisper altius quam primo incipit: *Ecce lignum Crucis*, aliis prosequentibus et adorantibus, ut supra. Deinde Celebrans procedit ad medium Altaris, et discooperiens Crucem totaliter ac elevans eam tertio altius incipit: *Ecce lignum Crucis*, aliis prosequentibus et adorantibus, ut supra, flexisque genibus remanentibus.

1414. Si vero adsint Ministri, facta oratione ut num. 1410, omnes consurgunt et a Clericis amotis pulvinis, Celebrans et Ministri ascendunt in suppedaneum. Celebrans osculatur Altare, sed Ministri non genuflectunt. Celebrans pergit ad Missale, Ministri adstant illi a dextris, ut in Introitu Missae. Statim Lector assumpto Missali ex abaco procedit in medium, et facta



in plano genuflexione, pergit ad locum ubi cantatur Epistola, et in tono Lectionis cantat Prophetiam *Haec dicit Dominus* etc., quam Celebrans legit submissa voce cum subsequenti Tractu, quem Chorus, finita Lectione, statim cantabit. Post Tractum Ministri se sistent post Celebrantem, Clerus omnis stabit: Celebrans cantat more solito *Oremus*, Diaconus canit *Flectamus genua* et Subdiaconus *Levate*. Ad *Flectamus genua*, tum in ista, cum in aliis Orationibus, omnes genu dexterum flectunt praeter Celebrantem, ad *Levate* omnes surgunt. Celebrans hinc cantat Orationem *Deus, a quo et Iudas* etc., et interim Clericus vel Caeremoniarius tradit Missale Subdiacono ipsumque more solito comitatur ad medium Altaris, ubi faciunt simul genuflexionem: et reversi ad solitum locum et responso a Choro *Amen* post Orationem, Subdiaconus canit Epistolam, quam Celebrans submissa voce legit.

1415. Si adsint Diaconi pro canenda Passione, induti iam Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo et Stola nigri coloris, procedunt ad Altare tecto capite, quod detegunt Presbyterium ingressi. Praecedit qui canit textum effere pectori applicitum librum, sequitur qui turbarum partes canere debet, et ultimo qui Christi personam agit. Si adsint alii Clerici, convenit, ut ipsos comitentur. Contra faciem Altaris sistent: medius Cantor textus, a dextris qui Christi personam gerit, alter a sinistris; genuflectent, et eodem ordine ibunt ad locum, ubi cantandum est. Si Diaconi alii non adsint, qui Subdiaconum agit, finita Epistola, Stolam diaconalem sumit et a sinistris Diaconi venit in medium, simul genuflectunt et vadunt ad locum destinatum in cornu Evangelii, gerente

personam Christi Celebrante. Incipit tunc qui canit textum: *Passio Domini nostri* etc. Si Celebrans non egerit personam Christi, integram Passionem legit submissa voce usque ad illam partem, quae canenda est in tono Evangelii, et tunc in eodem loco manendo dicit *Munda cor meum* etc. inde prosequitur legens ultimam partem, qua absoluta convertetur ad Cantores, simul cum Ministris manentibus in eadem linea et positione. Celebrans, lectis verbis *tradidit spiritum*, non genuflectit, sed cum omnibus genuflectet in positione, in qua est postquam eadem verba cantata fuerint, uti in sua positione genuflectent Cantores et reliqui, et omnes surgent surgente Celebrante. Cantata Passione, Celebrans versus Missale convertetur: Cantores facta Cruci genuflexione in medio, ordine quo venerant redibunt ad Sacrarium ad deponenda sacra indumenta. Diaconus ibit ad abacum, sumet Missale et ad Altare deferet, et genuflexus in extremo suppedaneo dicet *Munda cor meum*, et interim Acolythi manibus iunctis venient ante Altare, ubi et sistet Subdiaconus. Diaconus surget, sumet librum de Altari, descendet, se addet Subdiacono a dextris, et facta simul ab omnibus genuflexione, procedet ad cantandam ultimam partem Passionis in tono Evangelii, nec librum, nec seipsum signans. Celebrans convertetur ad Diaconum ut in Missis: Diaconus, cantata illa parte, claudet librum, quem Subdiaconus tradet Acolytho, et facta iterum in medio ab omnibus genuflexione, ibunt singuli ad proprium locum.

1416. Cum Ministri post Celebrantem stabunt, ipse incipiet canere Admonitiones et Orationes: Admonitiones tono indicato in Missali, manibus iunctis, ad *Oremus*



ante Orationes aperiet et claudet manus more solito; Orationes canet tono feriali, manibus extensis. *Flectamus genua* cantabitur a Diacono, *Levate* a Subdiacono, et omnes genuflectent praeter Celebrantem. Post Orationes Celebrans cum Ministris a latere descendit in planum, dimittit Planetam et sistit in cornu Epistolae, facie versa ad populum, cum Subdiacono a sinistris, dum Diaconus ex eodem latere ascendit ad medium Altaris, genuflectit in suppedaneo et tollit Crucem, utendo scabello, si opus sit; descendit inde per medium, Crucem utraque manu elevatam tenens, et pergens ad Celebrantem, illi reverenter, sine osculis, tradit, se inde statuens ad eius dexteram. Acolythus cum Missali aperto accedit ad Subdiaconum, Missale vertens ad Celebrantem. Celebrans accepta Cruce, superiorem eiusdem partem discooperit, adiuvante Diacono, deinde canit: *Ecce lignum Crucis*; Ministri et alii Assistentes prosequuntur: *in quo salus mundi pependit*, et Chorus: *Venite adoremus*; et sic ultra ut supra num. 1413. Detecta a Celebrante Cruce, Clericus detegit Crucem processionalem et Sacrista aut alius reliquas per Ecclesiam.

1417. His peractis, Celebrans solus, vel comitante Caeremoniario aut Acolytho, defert Crucem ambabus manibus elevatam ad locum praeparatum, et genuflexus ibidem locat. Dum Celebrans defert Crucem ad locum adorationis, Diaconus, Subdiaconus et reliqui omnes genuflexi manent donec ille, posita Cruce, assurgat. Surgit, et facta genuflectione vadit ad planum, seu ad scamnum in cornu Epistolae, ubi ei se adiungunt Ministri, si adsint, vel Clerici, ibique deponit sandalia et Manipulum. His depositis, procedit ad adorationem Crucis solus, genua

flectens tribus distinctis locis cum aliqua pausa, et post tertiam genuflectionem, quam facit prope Crucem, se inclinans Crucifixi pedes osculatur. Surgit, et facta simplici genuflectione Cruci, redit et sandalia ac Manipulum resumit; et si adessent Ministri, recipit quoque Planetam, quam alias resumet tantum ad processionem. Caeteri deponent et ipsi sandalia, Ministri etiam Manipulum, et post Celebrantem omnes adorabunt Crucem eodem modo, quo Celebrans, et reversi, quae deposuerunt, resument. Primi omnium ibunt duo Ministri simul, nisi adesset Minister Generalis, aut Provincialis in sua Provincia, tunc enim immediate post Celebrantem ibit ipse solus. Procedent hinc bini Patres seu Sacerdotes etiam ante Clericos assistentes, sunt enim in Choro Sacerdotes regulares, quod Canonici in Cathedralibus: inde Clerici, postremo Fratres Laici omnes bini, iunctis ante pectus manibus, quod si numerus sit dispar, ultimi ibunt terni. Dum autem Celebrans defert Crucem ad locum paratum, Chorus, si Fratres numero sufficienti adessent, incipit more nostro canere Improperia, quae Ministri cum Celebrante, stantes ad scamnum capite tecto, legunt ex Missali quod apertum ante Celebrantem sustinet Clericus. Si vero Ministri non adsint, neque Chorus, tum reversi ab adoratione Crucis Clerici accedunt ad Celebrantem et alta et clara voce recitant cum eo Improperia modo, quo in maiorem commoditatem hic divisa ponuntur. Animadvertendum autem, Improperia ex toto esse legenda, quamvis completa esset adoratio Crucis: non tamen necessarium esse, ut omnia cantentur a Choro.



*Improperia recitanda a Celebrante  
cum secundo et tertio Clerico.*

## PRIMA PARS

Cel. ꝑ. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

ꝑ. *Quia eduxi te de terra Aegypti: parasti Crucem Salvatori tuo.*

2. Cl. R. *Agios o Theos.*

3. Cl. *Sanctus Deus.*

2. Cl. *Agios ischyros.*

3. Cl. *Sanctus fortis.*

2. Cl. *Agios athanatos, eleison imas.*

3. Cl. *Sanctus immortalis, miserere nobis.*

Cel. ꝑ. *Quia eduxi te per desertum quadraginta annis: et manna cibavi te, et introduxi te in terram satis bonam: parasti Crucem Salvatori tuo.*

2. Cl. R. *Agios o Theos.*

3. Cl. *Sanctus Deus.*

2. Cl. *Agios ischyros.*

3. Cl. *Sanctus fortis.*

2. Cl. *Agios athanatos, eleison imas.*

3. Cl. *Sanctus immortalis, miserere nobis.*

Cel. ꝑ. *Quid ultra debui facere tibi, et non feci? Ego quidem plantavi te vineam meam speciosissimam: et tu facta es mihi nimis amara; aceto namque sitim meam potasti, et lancea perforasti latus Salvatori tuo.*

2. Cl. R. *Agios o Theos.*

3. Cl. *Sanctus Deus.*

2. Cl. *Agios ischyros.*

3. Cl. *Sanctus fortis.*

2. Cl. *Agios athanatos, eleison imas.*

3. Cl. *Sanctus immortalis, miserere nobis.*

## SECUNDA PARS

Cel. ꝑ. *Ego propter te flagellavi Aegyptum cum primogenitis suis; et tu me flagellatum tradidisti.*

2. et 3. Cl. R. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

Cel. ꝑ. *Ego eduxi te de Aegypto, demerso Pharaone in mare rubrum; et tu me tradidisti principibus sacerdotum.*

2. et 3. Cl. R. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

Cel. ꝑ. *Ego ante te aperui mare; et tu aperuisti lancea latus meum.*

2. et 3. Cl. R. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

Cel. ꝑ. *Ego ante te praeivi in columna nubis; et tu me duxisti ad praetorium Pilati.*

2. et 3. Cl. R. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

Cel. ꝑ. *Ego te pavi manna per desertum; et tu me caecidisti alapis, et flagellis.*

2. et 3. Cl. R. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

Cel. ꝑ. *Ego te potavi aqua salutis de petra; et tu me potasti felle, et aceto.*

2. et 3. Cl. R. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*



Cel. ꝑ. Ego propter te Chanaanæorum reges percussi; et tu percussisti arundine caput meum.

2. et 3. Cl. R̄. Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

Cel. ꝑ. Ego dedi tibi sceptrum regale; et tu dedisti capiti meo spineam coronam.

2. et 3. Cl. R̄. Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

Cel. ꝑ. Ego te exaltavi magna virtute; et tu me suspendisti in patibulo Crucis.

2. et 3. Cl. R̄. Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

## TERTIA PARS

Cel. ꝑ. Crucem tuam adoramus, Domine, et sanctam Resurrectionem tuam laudamus, et glorificamus: ecce enim propter lignum venit gaudium in universo mundo.

Psalm. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis.

2. et 3. Cl. R̄. Illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Cel. ꝑ. Crucem tuam adoramus, Domine, et sanctam Resurrectionem tuam laudamus, et glorificamus: ecce enim propter lignum venit gaudium in universo mundo.

2. et 3. Cl. R̄. Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis: nulla sylva talem profert, fronde, flore, germine. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Cel. ꝑ. Pange lingua gloriosi lauream certaminis: et super Crucis trophæo dic triumphum nobilem: qualiter Redemptor orbis immolatus vicerit.

2. et 3. Cl. R̄. Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis: nulla sylva talem profert, fronde, flore, germine.

Cel. ꝑ. De parentis protoplasti fraude factor condolens, quando pomi noxialis in necem morsu ruit: ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret.

2. et 3. Cl. R̄. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Cel. ꝑ. Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat, multiformis proditoris ars ut artem falleret: et medelam ferret inde, hostis unde laeserat.

2. et 3. Cl. ꝑ. Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis: nulla sylva talem profert, fronde, flore, germine.

Cel. ꝑ. Quando venit ergo sacri plenitudo temporis, missus est ab arce Patris Natus, orbis Conditor: atque ventre virginali carne amictus prodiit.

2. et 3. Cl. R̄. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Cel. ꝑ. Vagit infans inter arcta conditus præsepia: membra pannis involuta Virgo Mater alligat: et Dei manus, pedesque, stricta cingit fascia.

2. et 3. Cl. R̄. Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis: nulla sylva talem profert, fronde, flore, germine.

Cel. ꝑ. Lustra sex qui iam peregit, tempus implens corporis: sponte libera Redemptor passioni deditus: Agnus in Crucis levatur immolandum stipite.

2. et 3. Cl. R̄. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Cel. ꝑ. Felle potus ecce languet: spina, clavi, lancea mite corpus perforarunt, unda manat, et cruor: terra, pontus, astra, mundus, quo lavantur flumine.